

termino, praestolaturi; et si forte hortatu nostro ab amentia resipere, honoremque pristinum recipere dignaremini. » Cumque vidissent calidissimi et malignissimi spiritus quod verbis eorum nullo modo moveretur, nullumque ab eo possent elicere reponsum, confusi recesserunt, alterius tentationis praestigia post modicum machinaturi.

Circa medium vero noctis, dum miles memoratus de iis quae viderat attentius cogitaret, audivit de longe velut strepitum equitum, eum tumultu propestantium atque ad ecclesiam in qua sedebat festinantium. Cumque foribus ipsius ecclesiae appropinquassent, citis saltibus de equis suis desilientes, luctuosos vocibus clamare ceperunt, dicentes: « Nunquid hic est charissimus socius et consanguineus noster? » Erant autem daemones in specie quorundam propinquorum ipsius, quos peculiari familiaritate dilexerat, quosque flagitiorum et scelerum socios frequentius habuerat. Effractis itaque, ut sibi videbatur, potius quam reseratis januis, ingressi sunt ad eum; et nunc dolentis, nunc indignantis vocibus usi, proprio eum nomine compellabant dicentes: « Heu, heu! amicorum propinquorumque dulcissime, quae te necessitas ad hanc lugendam fatuitatem perduxit? Et quis tibi hanc voluntariam, insanamque calamitatem persuadere potuit? Quis crederet virum prudentem et industrium, in agendis rebus strenuum, et militaris disciplinae gnarum, in bellicis conflictibus experientissimum, ad tantam subito amentiam prolabi potuisse, ut propinquorum et amicorum immemor, ipsius quoque honoris sui negligens, seipsum extremae infelicitati et miseriae subdere, cuncta vero bona sua rapinis et incendiis exponere non cunctetur? Scias namque omnes inimicos tuos, quorum superbiam et audaciam in robore fortitudinis tuae virili constantia retundere solebas, audito quod adversa fortuna dejectus atque humiliatus sis, laetari et exultare, sicut exsultant victores capta praeda, dispositisque agminibus tyrannica crudelitate omnia quae tui juris sunt rapere, suaeque ditioni mancipare velle. Hac ergo malitia eorum permoti, venimus hortari te, amice charissime, quatenus abjecta dementia qua involveris, sociisque et commilitonibus tuis quantocius ascitis, adversariis in manu valida occurras, ne si (quod absit!) amicos honorem tuum zelantes spreveris, et exire distuleris, postquam fertiles fundi tui, cunctaque tibi attinentia rapinis et incendiis consumpta fuerint, sero nimis hujus te fatuitatis pudere simul et tædere incipiat. Quae enim major dementia esse poterit quam credere, propter unius noctis silentium, peccata tibi dimitti, quod pseudoeписcopus ille de corde suo confinxit, non ad aliquam utilitatem tuam, sed ut strenuitati tuae qualitercunque satisfaciens, placentia tibi loqui videretur! » In his omnibus subtilissimae deceptionis concinnationibus poenitens ille divina gratia illustratus, immobilis perseverabat, nec ullum omnino garrimentibus dedit responsum, sed inanes, ac sine effectu malitiae suae, seque ipsos praeter ira et furore discerpentes abire permisit. Videntes itaque impietatis ministri, fabricatores mendacii, se in cunctis astutiarum suarum argumentis esse frustratos, maximumque peccatorem, de cuius quasi certa perditione sibi applaudebant, mediante virtute obedientiae in puncto, ut ita dicam, temporis ad vitam revocari, livore invidiae nimium exasperati, crudelitate jam et tormentis rem agere decernunt, quatenus, si fieri posset, qui blanditiis non cesserat, saltem terroribus et cruciatibus actus, aliquod qualecunque verbum depromeret, sicque pretiosum salutis unguentum, quod in mortuario obedientiae pistillo patientiae contundebatur, per impatientiae vitium effunderetur.

Igitur cursu noctis magna jam ex parte transacto, gallicini tempus imminabat, cum ecce maligni spiritus, non jam in peregrina, sicut antea, sed in pro-

pria specie poenitenti illi apparere, deformes et tetri corporibus, truces vultibus, minaces oculis, dirumque malitiae virus saevientem spirantes. Qui etiam undique eum vallantes, terribilibus vocibus increpabant dicentes: « O miles damnate, criminum fax, scelerum sentina, flagitiorum charybdis, quae est ista vana spes tua, qua seduceris? Nunquid aliud de caetero esse poteris, quam unus ex nobis, qui horrendis criminibus et sceleribus ipsos etiam daemones vicisti? O quam stulta, quam vana, quam fatua est haec cogitatio tua, ut pro unius noctis silentio consortium nostrum evadere, magistrisque nostri jugum de collo tuo excutere te posse praemas, cujus jam caractere ad militandum regno mortis signatus es! Ne ergo contemptus nostri poenas condignas solvas, neque sentias iratos, quos placatos habere poteris, si volueris, exi celerius hinc, atque, favore nostro florentis juventutis tuae vigorem in cunctis oblectationibus dulcis mundi laetificato, de adversariis quoque tuis adiutorio nostro devictis et confusione operis gloriosissimum triumphum reporta. » Haec quidem illi. Caeterum fortis athleta Dei, qui paulo ante adeo pusillanimitas ad patientiam fuerat, merito fidei et obedientiae fundatus jam supra firmissimam petram, id est Christum, sicut fallendo blandientes, sic terrendo increpantes despiciens, propositumque silentium viriliter servans, in tantam daemones insaniam provocavit, ut versi in furorem irruerent irreverenter in eum, plagisque acerrimis lacerantes, licet livore vulnere saucium, illaesa tamen conscientiae testimonio gloriantem reliquerunt. Superato itaque timore nocturno primae tentationis, a sagitta quoque volante in die, id est prosperitate secundae victoriae scuto divinae gratiae protectus, tertia nihilominus vice a negotio perambulante in tenebris diabolicae saevitiae thorace patientiae communitus, quid illi restabat, nisi daemone meridianum, quod tanto acrius insurgit in splendore honorum operum, quanto per extollentiam cordis jactantiamque virtutum facilius se posse supplantare praesumit? Jam rutilantes aurora radios spargebat, et homo peccator, sed poenitens, tot triumphis subacta diabolica nequitiae elarus exsultabat in gratia Dei, penitusque in alterum virum mutatus, cum magno desiderio suscipiendae legitimae poenitentiae praestolabatur adventum episcopi, qui se orto diluculo venturum esse promiserat. Vere haec est mutatio dexteræ Excelsi (Psal. LXXVI), vere beatus homo, quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum, ut mitiges ei a diebus malis, quando fodietur peccatori fovea (Psal. XCIII). aeternae perditionis, et barathrum nunquam finiendae confusionis. Quis accusabit adversus electos tuos, Domine? (Rom. VIII.) Te, Domine, aperiente, quis est qui claudat? te, Domine, quatruiduanum Lazarum lethaliter fetentem horrore vitiorum, et insuper mala inveterataeque consuetudinis lapide pressum, in virtute vocis tuae foras evocante (Joan. XI), quis est, qui dicere audeat: Cur ita facis? Tibi, Domine, super peccatorum, qui tanquam jumenta computruerunt in stercore suo, justificatione laus, honor, potestas et imperium in saecula saeculorum!

Lividissimus autem ille Leviathan serpentis antiqui oculus, qui de sublimi merito superbiae cecidit, et tamen omne sublime per desiderium gloriae videt (Job XLII), ideoque omni ad sublimitatem, quam ipse perdidit, ascendenti invidet, considerans poenitentem illum de victoria sua in gratia Dei exsultantem, longe alia via, multoque periculosiore quam antea, insatiabilis homicida tentare aggreditur. Sciens namque in proximo venturum esse episcopum, convocatis tartareis ministris suis fraudulentissimam commentatur scenam; ipseque lupus rapax puniendam temeritatem pastoris habitum induit, crudelissimus tyrannus infausto prodigio pontificis personam assumit, tenebrarumque ministros falsa luce perfusus, ve-

lut ministros justitiae subornat. Procedit subito ridiculum plasma, progreditur falsus et fallere moliens antistes splendidissima stola decoratus, facie laetus, habitu incessuque quasi reverendus, ut nihil minus quam diabolus putaretur; subsequuntur satellites falsitatis, vestibus et ipsi candidis fallaciter adornati, tanquam sacerdotes, et levitae caeterique inferiorum graduum clerici, portantes singuli velut utensilia Ecclesiae, alii vasa sacra altaris, alii indumenta sancti sacrificii, quidam vero velut libros divini officii impuris manibus ferentes. Sic ergo versipellis et tortuosus draco transfiguratus in angelum lucis, cum comitatu impietatis pietatem simulante accedens ad hominem peccatorem, sed gratia Dei ad poenitentiam roboratum, sereno ore lethale deceptionis virus evomit, dicens ad eum: « O serve Dei, magna est patientia tua, invicta est fides tua, quia et propositam tibi obedientiam illaeram servasti, et seductores spiritus in omni malignitate atque fallacia sua ad nihilum redegitis. Noveris enim, nequissima eorum molimina nos nequaquam latere, quibus tota hac nocte multiplici fraude patientiam tuam frangere, fidem cassare, obedientiam pessumdare conati sunt, cum tamen protectante te Domino, effectu malitiae suae privati sunt. » Adjungunt se pestilenti huic adulatori caeteri nequam spiritus, qui in specie presbyterorum et diaconorum, aliorumque clericorum astabant; miris laudibus victoriam ejus efferentes; et alii quidem, quod speciem sibi oblatam nec saltem respicere, nedum tangere dignatus sit; alii vero, quod propinquos et amicos, possessiones, et omnia quae mundi sunt, timori Dei postposuerit, magnificabant; omnes autem in commune, quod atrocissima verbera patientissime tulerit, praedicabant, eumque martyrum collegam fore asseverabant. Deinde summus ille, non pontifex, sed doli artifex: « Eia, inquit, frater, bonum certamen certasti, cursum consummasti, obedientiam sicut bonus athleta servasti, nunc superest ut quia aurora illuxit, accepta licentia loquaris, et qualiter de illis erroneis spiritibus triumphaveris, nobis hoc a te audire cupientibus per ordinem pandas. » Interim gratiae Dei alumnus cujus oculos et aures talibus phantasiis ludificabat Satanas, graviter in cogitationibus suis turbabatur, quoniam iidem seductorii spiritus, qui foris visibili specie ei illudebant intus invisibiliter ad credendum fallacis suis viperis suggestionibus ipsum illiciebant. Sed quem misericordissima Dei pietas servare decreverat, quomodo ei malignissimi insidiatores nocere poterant? Ideo namque antiquus hostis mille modis miseros mortales tentare non cessat, quia quis sit electus, non nisi per dejectionem et confusionem suam intelligit. Cum ergo, sicut diximus, multum turbatus utrum loqui deberet, necne, dubius et anxius animo volveret, secretissima subito Dei gratia inspirante recordatus est dixisse episcopum cum cruce Dominica se esse venturum. Curiosus vero perlustrans oculis cuncta illa, quae quasi sacra insignia scelestis manibus indignissimi hajuli ferebant, signum salutare inter ea non esse sagaciter apprehendit, quia licet caetera omnia fallendo et mentiendo simulare possit Satanas, signum tamen admirabile, per quod devictus, et ad nihilum redactus est, effigiare penitus non valet. Territus ergo vehementer, jamque erumpere vocem intra fauces castigans, intellexit omnem illam candidatorum turbam ministros esse tenebrarum, atque ad deceptionem sui falsae illius religionis finxisse apparatus. Ubi vero ille quondam lucifer, nunc autem noctifer, caeterique apostatici spiritus, viderunt cuncta fallaciarum suarum argumenta cassari, seque ab homine peccatore, sed poenitente, in omnibus versutiis suis velut pannum menstruatam despici et projici, tanquam si ipsius summæ divi-

nitatis in vase fragili virtutem operantis praesentia percellerentur, territi, sicut fumus evanuerunt, nec ultra ausi sunt nequissimis dolis vellicare eum, quem sub umbra alarum gratiae Dei protectum, viderunt insidiarum suarum laqueis teneri non posse. Hostibus igitur totius boni cum principe suo devictis atque confusis, secundum pollicitationem suam cum cruce Dominica advenit episcopus, sacri cleri non fictitia, sed vera et germana religione insigniti, vallatus frequentia. Cumque facta oratione reclusum suum salutasset, et ut loqueretur in nomine Domini imperasset, ille nocturna adhuc pericula metuens, vix ut in verba linguam laxaret, suaderi poterat: quippe qui multimodas daemoneum insidias expertus, academicorum more de omnibus dubitandum putaret, seque inter verum et falsum discernere posse diffideret. Tandem viso signo sanctae crucis, quod solum daemones contremiscere et fugere non ignorabat, inclinato reverenter capite adoravit, requisitusque ab episcopo, utrumnam brevem quidem, sed salutarem poenitentiam sibi injunctam servasset, vel si aliquid amplius satisfactionis superaddere posset, respondit: « Ego Pater, ut obedientiam servarem, immensos agones, et periculosa valde certamina brevis temporis spatio desudata percucurri: ideoque gratias ago Salvatori nostro Deo, qui mihi misero licet et indigno, quam pertinax hucusque salutis meae inimicus exstiterim, vel quam crudelis tyranni pernicioso satellitio me ipsum vecors manciparim, in hac nocte demonstrare dignatus est. »

Ad haec verba cunctis qui aderant attonitis, et rem gestam scire desiderantibus, praecipiente episcopo, ut quid vidisset, vel audisset, absque cunctatione ediceret, tragediam diabolicam versutiae mirantibus universis recitavit, et insuper tyrannicae crudelitatis indices plagas, quarum livore dorsum caeteraque membra ejus intumuerant, ostendit. Cumque gratias in commune Domino Jesu Christo super inenarrabili dono pietatis ejus referrent, episcopus grata hilaritate subridens dixit ad eum: « Quid ergo, frater, tibi videtur? Nunquid sola hac poenitentia contentus vis esse, an adhuc legitimam poenitentiam secundum ecclesiasticas sanctiones consentis subire? Ille vero pristinae infirmitatis suae penitus oblitus, et ad tolerantiam gravissimorum quorumlibet laborum per sancti Spiritus gratiam roboratus, respondit: » Domine Pater, quidquid jusserit paternitas tua libens et devotus implebo, tantum ut malignorum spirituum consortium effugere valeam, quorum quam sit detestanda et amara societas, sicut horrendum est experiri, utinam sic miseri mortales praescire et praecavere valerent! Quapropter solemnes carinas, extensa jejunia, votivas peregrinationes, et si qua sunt alia, quae legitimae poenitentiae congruunt, subire paratus sum: quoniam absque amaritudine poenitentiae peccatores ad vitam redire non posse, per gratiam Dei certus effectus sum. Sed quis digne effari queat quanto episcopus gestierit gaudio, quantas universi qui aderant, omnesque cognati et amici ejus sanum peccatoris ante unius noctis spatium superbissimi et obstinatissimi, omnemque prorsus poenitentiam respicientis, tam sancta, tam humilia, tamque devota verba resonarent. Super omnes vero admirabilis et bonorum memoria digna conjux ipsius speciali tripudians gaudio, benedicebat Dominum, quoniam virum suum, cui carnali copula jungebatur, ad spirituales et castissimas Agni immaculati nuptias labore atque industria sua per sanctae orationis ac piaerhortationis assiduitatem atraxerat. Ecce quam dulces, quam suaves quamque salubres pietatis fructus sanctae discretionis virtus protulit; et e regione quam amarus, quam perniciosos, quamque mortiferos perditionis fructus miseræ in-

discretionis vitium fecit, quando supra memoratus sacerdos, qui ad sanandum ægrotum susceperat, virtutum discretionis ignorans, et quam benignum compatiemque infirmæ conscientie se exhibere debuisset, non intelligens, sibi quidem mortem temporalem ascivit; illi vero, quem ad vitam revocare debuerat, æternæ mortis pondus duplicavit. Hic vero beatus episcopus, quoniam virtute discretionis magnifice pollebat, cum omnia pietatis argumenta illi defecisse viderentur, per sagacitatem piæ discretionis aliquid invenit, unde superbum salubriter prosterneret, et humiliatum ad vitam resurgere faceret.

CAPUT XIII.

Quantum periculum sit, quacunquē hora confiteri volentem differre.

Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum esse, et a Patre luminum descendere, Jacobus testatur apostolus (Jac. i), stultam videlicet philosophiam illorum redarguens qui lumen boni operis, vivacitatem intellectus libero assignantes arbitrio, suam conantur statuere justitiam, ideoque justitiæ Dei non sunt subjecti (Rom. x). Quis enim pensare sufficiat quantis casibus, quantisque calamitatibus, non solum humanæ carnis, sed etiam humanæ mentis infirmitas pateat, si vel ad momentum a gratiâ deseratur; quandoquidem nec quid oremus, secundum quod oportet, nesciamus, si non spiritus infirmitatem nostram adjuvet (Rom. viii)? Unde, quæso, patienter feras, lector, si adhuc de sacramento confessionis perneccissarium, ut reor, exemplum breviter perstrinxero: in quo evidentissime clarebit quam lamentabili ruinæ cæcitas humanæ mentis, quæ per liberum arbitrium corrupta est, obnoxia sit; et rursus, quam potens, quam efficax sit gratia ad salvandum quod perierat, quæ utique ab ipsa etiam ruina servare poterat, si non secundum egregiam Ambrosii sententiam necessarium fuisset Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est, ut proinde nobilis ad imaginem Dei creata natura quid per se, vel quid per gratiam sit agnoscens, miseracionem Domini in æternum non obliviscatur. In uno ex monasteriis ordinis Præmonstratensis, quidam de fratribus aliquando infirmarii officium sortitus est: qui secundum ea quæ in facie sunt, competentis religionis et honestæ conversationis esse videbatur. Sed heu! pondus et pondus, quod utrumque est abominabile coram Deo (Prov. xx), deprehensus est appendere in statera dolosa, quoniam foris per hypocrisin sobrius, parcimonieque amatorem se esse simulabat; intus vero in secreto suo gulæ et voracitati laxans habenas, obsonium, quod forte lautius infirmis præparasset, cibosque delicatioris fidei ejus ob necessitatem infirmorum creditos, non veritus iudicium Dei, sceleratissime insumebat. Contigit vero ut cum huic nequissimo vitio puniendâ temeritate aliquandiu subjacuisset, nescio quo iudicio compunctus ad horam, confiteri deliberaret. Itaque in sacra Vigilia Pentecostes circa horam nonam, cum jam abbas ejusdem loci ad celebrandum officium ipsius diei sacris vestibus ornandus esset, accedens ad eum, signum confessionis, sicut moris est confiteri volentibus, fecit. Abbas autem putans eum de quotidianis negligentibus aliquid habere dicere, renuit; significans ut competentior potius horam ad confitendum quæreret; se ad celebranda sacrosancta mysteria incontinenti esse processurum. Repulsus ergo abiit tristis, eo quod scelus omni confusione et ignominia plenum dicturus, effectum confessionis habere non meruisset; timebatque, ne forte igniculus ille timoris Dei, qui ad præsens in eo accensus fuerat, hac dilatione tepesceret; nec se post modicum talem inveniret, ut confusionem quæ gloriam adducit sufferre valeret,

sed magis confusionem quæ peccatum operatur incidere (Eccli. iv).

Tali ergo mœrore affectum, atque ad desperationem proclivem fratrem illum hostes humani generis maligni spiritus considerantes, velut latrones super pupillum irruere; miseram animam, quæ se præter rationem, contra ordinem, contra omnem juris et honestatis pulchritudinem indecenti carnis suæ voluptate fœdaverat, felle obdurationis, absynthioque desperationis potantes, et insuper in suimetipsius jugulum hominem jam mente captum violentissima suasionem impellentem. Denique ab hora qua repulsam passus est usque ad vesperam, factione dæmonum variis et perniciosis cogitationibus fluctuans, factus est insipiens, et elongatus a sapientia Dei, quæ dicit: *Ego sapientia habito in consilio, et eruditus intersum cogitationibus* (Prov. viii). Judam proditorem, qui cælo terræque perosus inter utrumque perit, infelicissima dementia statuit imitari. Jam sacratissimæ solemnitate vesperina synaxis a fratribus agebatur, et ille quasi pro infirmantium solatio remoraretur, stationem suam deserens cœtui fratrum se subtraxit, non intelligens, miser, tanto se malignorum spirituum insidiis facilius dici posse, quanto se a congregatione justorum Deum laudantium magis elongare præsumebat. Quid plura? Victus tandem tædio et desperatione, ipsius quoque vitæ suæ odium incurrens, iniiit stultus pactum cum morte, et fœdus cum inferno pepigit, atque in ipsa sancta nocte Pentecostes cultum gutturi, cujus voluptati dederat lenocinio satisfacere, immergens, eundem in sceleratissima interfectione sui incorentem habuit, cujus instinctu cyclopeam voracitatem sectari non timuit. Tum vero apostata spiritus nequissimo tripudians gaudio, quo specialius et profusius exsultare solent, si quando aliquem de numero religiosorum supplantare poterint, ignorantesque præsumptionem suam divina censura celerius esse reprimendam, tanquam jam plena victoria potiti, consilium iniere, quatenus sic seminecem de medio tollentes absentarent, ne forte antequam penitus exspiraret, inventus a fratribus, quacunquē pietatis arte ad confessionis et pœnitentiæ subsidium revocaretur, sicque prædam nefariam tartarei principes amitterent. Cæterum, cum neque in vespere, neque in sacris vigiliis frater ille in ordine suo in choro appareret, recordatus abbas signi confessionis quod fecerat, et repulsæ quam sustinuerat, totus intremuit, et quasi jam præsentem sibi spiritu suo, ne forte fieret quod factum esse nesciebat, gravissima cordis confusionem cepit vereri. Velociter ergo quibusdam fratribus acitis ad inquirendum eum pavidus et anxius mittit, sibi a justo iudice Deo imputandum fore reputans, quidquid adversi pertulisset is, quem confiteri volentem, licet evidenti necessitate, minus tamen discrete repellere præsumpsisset. Quæsitus itaque in infirmatorio cæterisque locis, in quibus inveniri posse sperabatur, minime repertus est; sed tandem curiosius iis qui missi fuerant, etiam obstruos quoslibet angulos perscrutantibus, in necessariis infirmorum culter horrendi sceleris minister cruce infectus, pavementum quoque multo sanguine rubens, tristem eventum recenter admissi homicidii indubiis declarare indicis.

Quo viso expavere et expalluere fratres ad inquirendum destinati, atque illius qui ab initio homicida est, crudelem malitiam adversus fratrem pusillanimum prævaluisse ingemuerunt. Sed cum quidam de cadavere, ut putabant, extincto factum fuisset, abdita et obscura quæque loca perlustrando diligentius explorarent, nec ullum omnino vestigium viventis vel defuncti reperire valerent, majori stupore percussi sunt: celeriusque regressi, lamentabile fraterni exitii eventum abbati et fra-

tribus pandere maturarunt. Oritur mox mœror et luctus omnium, vox una fratris ruinam pio compassionis affectu plangentium, sed is præ cæteris impatientius luget, qui pastoris nomen et officium tenens, miserabili oviculæ perditionis occasionem dedisse notabatur. Illuxit interea festiva devotione colendus dies Pentecostes, et fratres ob tanti diei reverentiam missarum solempnia devotissime celebrantes, omnipotentis Dei clementiam suppliciter postulabant, quatenus solita pietate quidam de fratre illo factum fuisset, ipsis manifestare dignaretur. Verum divinæ clementiæ bonitas, quæ incomparabiliter et merita supplicum excedit et vota, minime contenta id solum concedere, quod petebatur, largiori dono gratiæ suæ demonstrare voluit quam dignanter ruinæ peccatoris illius manum misericordiæ suæ supposit, ne is qui pro culpa sua castigari meruerat, diabolicæ malitiæ præsumptione collideretur. Non enim passa est irrefragabilis censura misericordiæ equitatis Dei, iudicium sine misericordia recipere illum, qui iudicium metuens, sub alas misericordiæ per confessionis et pœnitentiæ adminiculum confugere desiderat, licet hoc negligentia prælati sui consequi minime potuisset, sed neque sacratissimum diem, quo Spiritus sanctus corda primitivæ Ecclesiæ suæ, ad illuminandas omnes gentes copiose illustravit, adversæ partis mortifera victoria fœdari sustinuit. Ecce namque dam sacra mysteria celebrarentur, quidam de fratribus seorsum stans sub turri quæ campanas sustentabat, sursum forte respexit, viditque hominem illum sui ipsius infelicitate vere miserum, sed plane magnifica Dei gratia beatum, super murum quemdam præruptum pronum jacere ita ut a renibus et deorsum de muro pendens, incontinenti casurus esse videretur. Attonitus is qui viderat, ciet cæteros, curiosiusque considerantes ipsum esse deprehendunt, quem fraudibus inimici circumventum corpore et anima periisse reputabant. Rati vero cadaver extinctum se solummodo reperturos, allatis scalis accenderant, sed miseratione illius qui neminem prædestinatorum suorum perire patitur, spirantem adhuc hominem invenerunt.

Quod postquam clamore misto gaudio ab iis qui ascenderant cæteris innotuit, exsultantibus omnibus, præcipue tamen abbate, qui se flens et ejulans mortis illius esse reum clamitabat: Gloria tibi, Christe Deus, gloria tibi, Spiritus sancte Deus, a cunctis ingeminatur. Dehinc præcipiente abbate summa cum cautela diligentique depositus, in infirmorium delatus est, cunctisque in gutture ipsius horrendi vulneris hiatum cernentibus et mirantibus præ gaudio quonammodo sic salutis integritate mutilatus vivere posset, in lectulo collocatus est. Cumque paululum conquievisset, accendentes fratres aperturam hiantis enormiter gutturis manibus compressere, ne flatus vitalis contrario metu erumperet, tentantes, si vel hoc modo qualitercunque verba edere posset. Sed misericors Deus, ei quem de tyrannica hostis antiqui malitia potenter eripuerat, faminis quoque officium ad laudem gloriæ suæ, contra vim deficientis naturæ confessionis gratiam concedere dignatus est. Quod ubi pia explorantium fratrum curiositas advertit, contra omnem legem mortalis naturæ etiam fratrem illum sanitati restituit, mox secedentibus cunctis abbas confessionem incaute dilatam, vere magno munere Dei stupendo miraculo tandem recepit, confitenti quoque pœnitentiam congruam injunxit. Ut vero plenum et absolutum esset donum, quod Spiritus sanctus, qui pietas Dei dicitur, excellentissimo solemnitate suæ die prærogare dignatus est, tanto propensius et devotius puritatem sanctæ conversationis postmodum æmulatus est, quanto in semetipso certius expertus fuerat, Leviathan serpentis antiqui virulentis patere morsibus eos, qui schemate religionis insigniti,

conscientias suas latebrosi sceleribus maculare non verentur. Sicut igitur, testante Apostolo: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* (Rom. xv); ita procul dubio quæcunque magna Dei in sancta Ecclesia ipsius facta sunt, ad nostram eruditionem facta sunt: et propterea quicunque curam animarum gratia Dei sortiti sunt, caveant, ne quavis occasione seu necessitate confiteri volentem, sibi duntaxat commissum, sine gravi pondere discretionis differre præsumant, ne contrarii sint Apostolo dicenti: *Spiritum nolite extinguere* (I Thess. v); et ne forte is qui nunc ad vitam revocari poterat, ipsa repulsione sua in aversionem cordis vadens, post modicum ad vitam redire contemnat.

CAPUT XIV.

De periculo discordiæ.

Cum Dominus in Evangelio dicat: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio* (Matth. v); itemque Apostolus salubriter admoneat, dicens: *Sol non occidat super iracundiam vestram* (Ephes. iv); dolendum valde est quosdam etiam de numero religiosorum negligentius iræ frena laxare, et usque ad contentionis discordiæque fœcē interdum prorumpere: qui, dum foris invicti esse cupiunt, intus graviter feriuntur, dumque foris parva et villa defendunt, intus magna et pretiosa perdunt, quia, dum rem temporalem tenere diligunt, pro ea, si auferatur, plus quam expedit irascendo, veræ dilectionis incomparabilem thesaurum amittunt. Ut ergo quisquis religiosam vitam sectetur, templum Dei se esse meminerit, dominumque majestatis habitantem in se iracundiæ seu discordiæ passione offendere pertimescat, qualiter sacerdos quidam religiosus, dum pacem, quam cœli Rege in terris nato cœli cives terrigenis annuntiaverunt (Luc. ii), in proximo suo violare non timuit, admirandam quandam gratiam specialiter a Domino sibi collatam perdidit, ad cautelam torpentium describere non pigritabor. Hic ergo laudabilis vitæ presbyter ignavia nequaquam marcescens otio, sollicite satagebat, quatenus conversationis suæ qualitas ab excellentia gradus sui non disreparet, tumque præcipue in oblatione hostiæ salutaris, in qua Filius immolatur Patri, ut tollat peccata mundi, per sacrificium cordis contriti et spiritus humiliati semetipsum in præsentia summæ divinitatis mactare curavit. Habebat vero parochianum quemdam, qui licet sæcularis vitæ negotiis implicatus esset, fidei tamen integritate devotionisque sinceritate pastoris sui meritis fortassis impar non erat. Ejus namque doctrina et exemplo religiose institutus, ecclesiæ limina sine cessatione terebat, missarum celebrationi sedulus observator intererat, sanctarumque precum instantia cœlos pulsans, in simplicitate cordis sui tempore divini sacrificii cum Domino loquebatur. Volens autem Dominus utrorumque meritum ad laudem et gloriam nominis sui manifestare, laici illius tam spirituales quam corporales aperuit oculos, cepitque infra sacri mysterii actionem Dominum nostrum Jesum Christum beatis oculis videre super altare stantem juxta calicem sanctum, qui amborum conscientias mira suavitate præsentis suæ misericorditer perungebat. Consecratione vero divinorum sacramentorum rite peracta, cum pacis osculum in populum esset diffundendum, et sacerdos juxta morem quorundam sacram hostiam primitus oscularetur, in ipsa hora pius Dominus accedens, eidem ministro suo pacis osculum dignantissime porrigebat. O quanta est benignitas Redemptoris nostri! o quantum de Deo suo quorundam pia et devota simplicitas meretur, ut ineffabilem illam æternæ visionis Dei dulcedinem, quæ generaliter omnibus electis in finem servatur, ipsi quodammodo in hac mortali vita prælibare videantur! Is ergo qui ad tam divinæ contemplationis reverendum arcanum admissus fuerat, juxta præ-